DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

DE

USU AQUÆ IN INFLAMMATIONE;

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE REVERENDI ADMODUM VIRI,

D. GEORGII BAIRD, SS. T. P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI;

NECNON

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU,

ET NOBILISSIMÆ FACULTATIS MEDICÆ DECRETO;

Pro Gradu Doctoris,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

JOANNES NOLAN,

Hibernus.

"And his servants came near, and spake unto him, and said, my Father, if the prophet had bid thee do some great thing, would'st thou not have done it? how much rather, then, when he saith to thee, Wash and be clean?"

2 Kings, chap. v. ver. xiii.

KALENDIS AUGUSTI, HORA LOCOQUE SOLITIS.

EDINBURGI:

EXCUDEBAT JOANNES BREWSTER.

MDCCCXXVI.

JACOBO MACARTNEY, M.D. S.R.S.

IN ACADEMIA EBLANENSI

ANATOMIÆ ET CHIRURGIÆ PROFESSORI,

&c.

HOC OPUSCULUM

DEDICATUR.

Ob beneficia multa et immerita publice gratias agere, mihi est voluptati. A lectionum perspicuitate et simplicitate, ab urbanitate conversationis tuæ, principia elementaria hujus doctrinæ didici, quam, nomine tuo sanciente, in publicum nunc edo. Principia ex sana theoria pendentia, et experientia sustentata, artem criticam nihili faciunt. Ut Professoris dignitatem, cujus munere tam bene functus es, in longum teneas, et amicitia omnium proborum cum hujus vitæ bonis fruaris, fervide opto discipulus et amicus tuus.

AUCTOR.

DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

DE

USU AQUÆ IN INFLAMMATIONE.

Auctore JOANNE NOLAN.

In omnibus, quæ ad artem medendi pertinent, legibus, de hac re a Senatu Academico sancitis morem gerere, discipulis gratissimum esse debet: eo plus, cum ad novam theoriam eliciendam, aut ad receptas opiniones argumentis fulciendas hæ leges facere videantur.

Hanc autem Thesin novi multum meæ propositioni afferre posse expectetis nollem; quippe quæ multarum dissertationum doctarum et quibusdam ex antiquissimis Chirurgices scriptoribus et horum auctorum nonnullis, eisque claris,

materiam præbuit. At eodem tempore profitear maximo studio et consideratione dignam mihi semper videri; cum memet persuasum habui talem esse, quæ etsi neglecta ab ignaris et incredulis aut naso suspensa adunco ab aliis, qui, etsi virtutes ejus bene calleant, in lucrum vertunt vel usum omittere vel in risum vertere —in tractatione multorum morborum et localium et ipsi habitui corporis inhærentium chirurgico necnon medico multum conferre posset. Cum autem invenio usui aquæ in inflammatione tantum in his illuminatis temporibus oppositionis dari, quantum potuit a gentibus et ætatibus maxime incultis, has animadversiones necessarias duxi. At bona est spes meam hujus remedii opinionem, ab aliquâ magnâ nostræ professionis auctoritate firmatam, hanc injustam oppositionem, velut nebulam ventus, dissipaturam; et chirurgicum, confidentiâ in unguentis et balsamis omissâ, plus spei in simplicitate naturæ habiturum; unde chirurgico nomen et ipsi professioni auctoritas accrescat. Quoniam nunc, ut puto, rei tractandæ utilitatem monstravi; ea, quæ durante inflammatione apparere soleant, imprimis breviter notare pergam; quod et ad operationem remedii atque ad rationes curationis quas sequentes paginæ continent, explicandum magnopere juvabit. Inflammationem fere definimus esse auctam functionum alicujus

viventis corporis partium actionem, solitis symptomatis fere comitatam, quæ sunt rubor et tumor cum calore et dolore. Horum symptomatum primum, nempe, ruborem, a vasis partis affectæ præter naturam sanguine distentis, induci, quidam physiologiæ scriptores consentiunt; at tunicæ crassitudinem dilatationi analogam inducunt et sic majorem solito sanguinis quantitatem accipiunt. Aucta vero tunicarum crassitudo ex natura nervorum, sedi doloris sensum dantium, magnopere mutatâ oritur: quidam, an sit hæc mutatio causa an effectus, hærent, at talem considerationem ego parvi momenti duco; gnarus enim facti, scilicet, perturbationis nervorum, sequitur quod demulcere irritationis sedem optima sit indicatio. Sed rubor alio et planiori modo possit explicari, videlicet, ostendendo quod capillaria, quæ ante inflammationem cœptam fluidum pellucidum continebant, nunc, partis inflammatæ tubulis dilatis, fluidum colorem habens, nempe, rubros sanguinis globulos accipiant. Rem ita se habere a tentaminibus Doctissimi HUNTER plane confirmatur, qui in aure cuniculi gelatâ vasa vi, diametro et numero auctiora esse quam in aure intacta demonstravit. Dolorem induci a nervis partis affectæ mechanico more tensis aut loco detrusis ab inusitatâ arteriarum plenitudine et magnitudine aut seri in telæ cellulosæ effusione

falso ducitur. Ast mihi videtur doloris meliorem causam reddi dicendo nervos in generali inflammatione semper includi; et quum sint suâ texturâ aliis partibus subtiliores, vim inflammationis magis sentiri: sed si causæ priores certum excedant modum, non negem quin merâ tensione et extrusione dolor inducatur: Plurimos autem effectus bonos, qui secuturi sint adoptando rationem curationis hoc sermone sustentatam, hac meâ opinione velim exponere. Caloris inflammatæ partis sufficientem causam nemo attulit; dum alii in arte chymica, alii et æque sine causa, in nervorum potestate rationem quæsivere: nunc quoniam causas inflammationis sigillatim disserere non est consilium, causam caloris in medio relinquens, quartum et ultimum inflammationis symptoma pergam exponere. Cum tumor nostris sensibus, tactui nempe visuique se manifestat, omnium symptomatum facillime probatur. Doloris causas disserens, de auctâ capacitate et consequente circulationis in capillariis partis affectæ incremento tensiores nervos reddente, mentionem feci; sed quoniam, ut spero, causam doloris physiologiæ magis consentaneam protuli, incrementum capillariorum in causis tumoris ponam. Coagulabilem lympham in cellularum membranarum effundere nonnunquam pergit inflammatio; altera hæc causa est. De absorp-

tionis interruptione Soemmering in causis inflammationis meminit, nescio an omnino recte; cum hanc meliorem causam reddere possumus, nempe, equilibrium inter secretionem et absorptionem corrumpi, arteriis multo plus secretionis deponentibus quam vasa absorbentia, etsi eorum functiones non sint omnino læsæ, possunt auferre. Symptomatum inflammationis tantam, quanta pro consilio necessaria, quoniam descriptionem dedi, proximum erit pergere et quousquè antiquorum medici aquâ in curando usi sint brevi disserere; quo patebit multâ attentione et observantiâ haud indignam illis visam. Postremo propositi remedii formam in qua usurpanda est, et varios inflammationis status, quibus utiliter applicetur describere enitar. Multorum in curatione morborum ac maxime internorum, loco remedii aqua habita est a tempore HIPPOCRATIS usque ad præsens: Virtutes ejus bene calluit medicus ille celeberrimus, et in operibus utilitatem ejus vindicat præcipue in febribus, et illius auctoritate locum in remediis in longum tenuit ævum, etsi argumentis valde dissonis; cum successores illius putabant aliquam occultam virtutem aquæ inesse, a clericis datam, qui tunc temporis et medicinam et chirurgicen præcipue exercebant, et indoctæ multitudinis credulitatem illudebant simulando aquam tunc tantum utilem esse cum a se sit

consecrata, et hinc aquæ accrevit appellatio 'benedicta.' In curatione vulnerum, ac maxime si sint glandibus tormento missis inflicta, multum utebantur; quia putabant pulverem nitratum in se venenum habere; et, per consequentiam, vulnera ipsa esse venenata; optimam, igitur, applicationem 'aquam benedictam' credebant: et certi, si assidue utantur, boni effectus sequerentur. Postea, medicinæ exercitatione a clericis dissuetâ, aquæ profanorum in manibus ut minus efficaci mala accrevit existimatio. Doctor Paris dum in sua Pharmacologiâ de superstitionibus medicinæ loquitur, sequentes eximias observationes profert. "Pulvere nitrato invento, aqua frigida, ut curatio vulnerum glandibus a tormento missis inflictorum, per totam Italiam brevi in communem venit, non ab aliquâ opinione cum vi humiditatis aut diminuti caloris connexâ, sed quia credebant divinam potestatem attribui a quibusdam mysteriis et magicis formulis, quæ statim usui aquæ rite præcederunt, chirurgicæ, tamen, curationi, talium vulnerum continuata aquæ applicatio quandam lucem attulit." Hinc videre licet existimationem remedii a virtute, imaginatione tantum existente, pendere, quum fulciretur nullâ aliâ potestate, quam incantationibus et mysteriis potentiis in eo existere dictis; quo malæ intentiones pravorum empiricorum in credulos pro-

moveantur. Sed forsan nonnihil innocuæ fraudis admittendum ut necessarium administrationi remedii, cum etiam in his diebus inveniuntur qui usum ejus, nisi medicati, admittere nolint, quo satisficiamus credulis hominum ideis sinc disquisitione sumptis, ut aqua mera sit simplicior applicatio quam curatio morborum postulet. Exempli gratiâ, difficile foret persuadere homini, vim fomentationis ex infusione Chamomeli et Althææ officinalis compositæ oriri ab ipsâ aquâ et non a medicinalibus harum plantarum virtutibus: ita admixtione alicujus simplicis substantiae ratio utendi remedii erit cum majore satisfactione patienti, et omnibus utilitatibus quæ ex aquæ simplicis applicatione sint orituræ. SMITH Anglicus chirurgicus usum aquæ laudavit. Necnon LAURENTIUS JOUBERT, natione Gallicus, qui etiam in hanc rem sermonem scripsit. Laudavit et laudare perstat celleberrimus Dr. MACARTNEY, Anatomiae Physiologiæ et Chirurgices Professor in Academiâ Eblanensi qui laboriosae investigationis multum huic rei attulit; quique in eruditis prælectionibus suis per multos annos commendare solet. Et rationi congruit credere quosdam ex plurimis, qui illius lecturas audire solent, de semitâ tritâ excessuros, et tutum simplicemque modum exercitationis sequuturos. Et libenter hanc occasionem arripio profitendi

opiniones incondite in hoc opusculo expressas (nam more Iuli, hujusce libelli auctor " Patrem sequitur non passibus æquis") collectas esse dum illius inclytas lecturas audiebam. Cum in præcedentibus paginis demonstravi modum operandi hujusce remedii a plurimis eorum, qui uti solebant, male intellectum esse; cum tam tarde processit præ progressu omnis alius inventionis et opinionis in medicinæ scientiâ, cur administrationem desinere necesse est, quum sit alicujus difficultatis negotium discernere in quâ descriptione inflammationis et quâ formâ (successu remedii pendente ex his utrisque circumstantiis) applicanda foret? Et si ego quid proferre possum, quod tendat introducere applicationem aquæ in curatione inflammationis novam et scientiæ servientem, quâ vel minimum beneficium humano generi conferatur non mihi videor operam lusisse. Chemicam analysin aquæ, cum in omni elementorum artis chemicæ libro inveniatur, hic ponere non dignor; nec ejus compositio ex tot partibus oxygenii totque hydrogenii quidquam sicut ego existimo, cum ejus usu in medicinæ exercitatione connexum explicat. Aquæ applicatio tribus formis utiliter fiat; primo, gelu vel gelidæ aquæ; secundo, calidi vaporis; postremo, vaporis minimæ temperaturæ. In medicinæ praxi perutilis erit nobis harum distinctionum notitia; nam si has

tres formæ sine discrimine adhibeantur misere spe excidemus; exempli gratiâ, si in peritonitide gelidam aquam seu gelu abdomini, vel vulneri simpliciter inciso vaporem calidum applicemus, antea dicta repeto, ut medicus discriminet et naturam inflammationis, et formam applicationis, sive bene seu aliter omnia evenirent. Nunc primæ divisionis naturam exponam; quæ forma applicationis ad præveniendum quam ad curandum aptior habenda est; nec hoc negligendum, etsi illud certe magis optandum. In vulneribus simpliciter incisis et operationes sequentibus, aneurisma, et hernia exempla esto, illa indicatio observanda, si, in incisis vulneribus labia scite in contactum adducantur, elata positio observetur, et pars affecta gelidis applicationibus refrigeretur, curâ simul adhibitâ ut nihil ægrum disturbet vel urgendo circulationem, vel ingratas impressiones in nervos faciendo; hæc omnia, inquam, si minute et cum curâ fiant, magis sperandum vulnus prima vel optimâ intentione atque absque inflammatione sanaturum; si hoc contingat, quanto foret melius antiquâ formâ vulnus ab inferiore parte carpiâ farciendi, pinguibus unguentis linendi, labia in contactum emplastris adhæsivis contrahendi, fasciis arcte ligandi et postremo in loco calido, quo granulatio et suppuratio procedant, ponendi. Ut

inflammatio optime prævenietur, ob potestatem constringendi subtilia vasa ejus organi in operationibus de oculo aquâ frigidâ utuntur. Imo etiam, cum inflammatio longius processit, simplex phlegmon exemplum sit, et omnia indicia adsunt, videlicet, rubor et tumor cum calore et dolore cautâ et assiduâ applicatione gelu vel gelidæ aquæ, repulsis his indiciis, inflammatio desinet in illâ optandâ terminatione, nempe, resolutione; nam optimi physiologiae scriptores tradunt, temperaturâ infra naturalem calorem reducta, inflammationem non posse progredi. Non vero nimium reducenda est, ne plorabiles omnino effectus sequerentur. E contra si ad suppurationem processit, a frigidis applicationibus nihil boni at contrarium sperandum ; quum in hoc morbi progressu (suppuratione) halitus (de quo postea) maxime redacti caloris optima applicatio invenietur. In gelu ustis, et quibus humani corporis calor nimis subito abstrahatur, gelati Hydrargyri tactu eadem indicatio vel evidentius tenet : quia temperaturæ reductio continuanda partem ustam vel nive vel gelu fricando, quo facto inflammatio victa, et gangræna (ni hæc fricatio obstaret) sequutura repressa est. Sanationis frigidæ aquae infusione inductæ, aliud exemplum a Doctore Currie datum, quod exercitationem medicinæ quoad febres adeo elucidavit, sequens est, hanc effusionem passus

primo frigora sentit, at statim subita reactio fit, gratusque calor per totum corpus diffunditur; se refectum sentit, et quamvis ad locum affusionis portatus erat, adeo levatur ut, nullo adjuvante, in lectum se conferre posset, et sudor qui sæpe febrem terminat, ex omni parte corporis exhalat. Pro pleniore hujusce modi curationis historiâ Doctoris CURRIE scripta de febre consulantur. In multis, quoque, molestis hæmorrhagiis ad sistendum sanguinem aqua gelida perutilis sæpe invenitur; necnon ad inhibendam hæmorrhagiam ex naso vel epistaxin, at in hâc posteriores nares obstruere aliquando cogimur, quod nunquam prius facere oportet, quam vim aquæ plene erimus experti. Cum ex superficie membri amputati sanguis denuo erumpit, loco sanguinem emittenti gelu in vesica applicando hæmorrhagia sæpe sistitur. Atque hic liceat observare, morem nuper exercitatum, quo, amputati membri extremitas circiter quatuor horas post operationem nec emplastris nec fasciis involuta manet, cum quoad adhæsionem vulneris, tum præventionem alterius hæmorrhagiae, eventus faustus erit. In uteri hæmorrhagiâ optimo cum effectu aqua usurpatur, cum post hæmorrhagiam satis amplam uterus laxatur, nolletque se contrahere, linteolorum, in admixtione aquæ gelidæ cum aceto immersorum, abdomini vaginæque appli-

catio contractionem uteri, atque, per consequentiam, ejus vasorum ut plurimum inducit; quâ applicatione, maximum periculum, quo mulieres utero gerentes laborant, avertitur. Dum Nosocomio mulieribus parturientibus Eblanæ instituto aderam, hujusce exercitationis utilitatem persæpe expertus sum; ultimo remedio manus in uterum introducendi, quo ad contrahendum excitaretur, rarissime necessario. Cum multa alia exempla utilitatis applicationem gelu aut gelidæ aquæ consequentis proferre possum; quia formas morborum, in quibus sanitivam esse demonstravi, satis numero existere duco, ad confirmandum remedium apud omnes candidos, aut nullo præjudicio præoccupatos, omittere libet. Secundam formam remedii, viz. calidi halitus nunc pergam exponere, quod applicationis medium certe pergratum est, atque magnâ commendatione dignum; quodque in casibus etiam duarum aliarum applicationis formarum aut malum aut nullum effectum habentium, adhiberi posset. Intimam connectionem cum omnibus partibus, et præcipue cavis, ut vocantur, humani corporis halitus calidus vel vapor habet; quippe qui in formâ exhalationis ex sero sanguinis oriri invenitur, quique, ut officia organi, cui applicetur, rite fiant essentialis sit; quo morbide aucto vel diminuto, contrarii sequuntur effec-

tus. Num hic vapor existit quidam hærent, affirmantes aquam naturalem secretionem semper esse; atque ex ejus (aquæ) ad frigus aëris expositione vaporem produci: hac de causa quia in sanis cavitatibus mortuorum, quibus viventibus, nullam inflammationem inesse, ex quâ fluidum oriatur, cognitum est, aqua reperitur. Sed lis facile dijudicari potest; quivis viventis animalis abdomen examinans reperit halitus digitos humidare mere satis, at non vel minimam aquæ particulam inveniet, hoc vapore ad lubricandum lapsus et convolutiones viscerum sufficiente; et quo absente, ut antea dixi, hæc munera difficile explebuntur. Nunc quoniam ad formationem puris aut lymphæ coagulabilis in serosis superficiebus, atque sudoris cutis suppressionem inflammatio tendit; ex his causis, et nervosæ irritationis præsentiâ planum est, artificialem productionem vaporis aquæ calidæ medio simplice vicem secretionis naturalis suppleturam, quâ partes mulceantur, et naturæ similiores reddantur. Cur calor et humiditas sensum adeo gratum patienti impertiunt, hæc causa est. In inflammationibus superficierum sive mucosarum, sive serosarum vaporis assidua applicatio maximi beneficii esse videtur; exempli gratiâ, in catarrhosis inflammationibus tonsillarum, uvulæ, et membranæ fauces tegentis, inhalatio halitûs satis diu conti-

nuata, persæpe morbum modo minime dubio omnino expellit. Incipiente bronchitide etiam ausim commendare, antequam immodica illa muci secretio plene inceperit; et quamvis in hoc quibusdam oppositione dignus videar, tamen, donec expertus fuero an effectus boni an non sequantur, de hoc morbo, quasi vapore sanando, loquar. De vagina fœminarum et utriusque sexus ano secretio morbosa aliquando procedit, atque in perinæo accumulans, ita perdificiles et molestas excoriationes inducit, ut magno patienti incommodo sint; hoc imprimis magnopere levetur, si super pelvem aquâ calidâ plenam aliquantum temporis æger sedeat, quo superficiem excoriatam demulceat, partes affectas relaxet, et aliquomodo acidi secretionem fluidi corrigat: si autem secretio continuetur, lotio Goulardi ut plurimum ad sistendum sufficit. In inflammationibus serosarum telarum halitûs applicatio unice valet: et in curatione peritonitidis aliis remediis potenter auxiliatur, et vel parti affectæ aut tepidorum balneorum formâ applicetur; localis applicatio, utpote commodior, effectum sperandum aliquando inducet. Potestate demulcendi et relaxandi nervos, effectum producere maxime videtur, quo facto, sequelam melius processuram sperare licet; majorem solito quantitatem sanguinis ad affectæ partis superficiem dirigendo, et ita partes interiores ab

aliquanto fluidi illic prius circulantis levando, effectum quoque producit; musculos abdominis hoc modo sudorem emittere et se relaxare facit; quæ ut eveniant, vapor bullientis aquæ in quolibet ordinario vase facile procuratur: at, quo scientius atque commodius applicetur a Doctore MACARTNEY inventus est apparatus, qui omnem intentionem inventoris complet; quique omnis valetudinarii et privatæ ædis supellectili adjungi dignus sit; apparatus ejusmodi est, olla stannea fulcro ejusdem metalli sustentata, quo fulcro lampas spiritu distillato pasta, atque quinque aut sex fila habens, imponitur; horum quemlibet numerum accendens aquam ad ullam temperaturam, quæ patienti sit grata, calefacias; ad generandum autem minimi caloris vaporem, unum accendere abunde sufficiat; vapori infundibulum exitum præbet; in quibus diffusis et aëre mistis, etsi summi caloris vapor emittatur, nullum ustionis sensum patienti impertit, quod fieri necesse si alio quovis modo exeat. In laneum saccum formæ cylindricæ quam per costas retinet, hic vapor accipitur, unde propter inæqualem superficiem calor vaporis minus condensatur, quam si æqualis sit; sacci os cum flexibili filo metalli instruitur, hac machinatione ad maximam vel minimam superficiem applicari potest. Necessaria est cum aliquando abdomini, et lateri capitis non-

nunquam manui, digito vel etiam oculo applicanda sit. Saccus laneus in altero uncti serici continetur, quo evaporatio intercipitur ne lectum madefaciat, vel sensum frigoris aut humiditatis aegro afferat. In omnibus injuriis contusiones, lacerationes aut explosiones sequentibus; necnon in vulneribus factis a glandibus ex tormento missis; si genus nervosum magnam acceperit concussionem, vel trunci nervorum lacerantur; nihil tam subito aegrotum levat quam calidæ fomentationes assidue applicatæ. Hoc in contusionibus planissime apparet; exempli gratiâ, homo magna injuria afficitur, cum dolore obtuso, et continuitatis solutione nervorum comitatâ, grandis inquietudo et insomnia saepe superveniunt; hæc, partem affectam in vapore apparatûs supradicti ponendo, cito amoventur; si dolor adeo violentus sit ut somnum fugaret, addendo paululum Tincturæ Opii aquæ calefactæ, quietus somnus patienti procurabitur. Cum in injuriis ex lacerationibus et explosionibus magnus substantiæ defectus, vel disorganizatio magnæ partis membri superstes sit, aut cum junctura primâ intentione non est expectanda, et cum, quod sæpe accidit, membrum utile servare vellemus, (assertionem repeto) halitus grati caloris assidue applicatus optatum effectum praestabit, hac solâ praecautione observatâ, ut

partes læsæ quantum fieri posset, in eodem situ, quo ante receptam injuriam essent, ponantur. Hæc optanda consummatio oritur ex fovente halitûs effectu in nervos sedem doloris suppeditantes et præcipue in eos super arterias minores, ramificantes. In vulneribus dissectione acceptis solita curandi ratio, certe sine discriminatione sumpta, primo stimulare et deinde cataplasmata applicare, formationem puris juvantia, cujus, si prima indicatio recta foret, nullum existeret, et postremo scalpello aperire quo pus putatur inesse, exeat: at sæpe nullum pus invenitur, nisi ex divisione vulneris et malâ tractandi ratione oriatur. Hic applicatio vaporis maximæ consolationis patienti fit, qui tum tantum levatur dum fomentatio continuatur, cumque ut plurimum sit, qui medicinæ scientia aliquantum imbuitur, chirurgicum haud injuste culpabit, quod cataplasmatibus et vulneris divisione, loco vapore a principio fovendi, tantum doloris sine necessitate creaverit. Quin etiam si quis ignitâ materiâ vel aquâ fervente comburatur, utpote tentatu dignum, propositum fuit, immergere partem ustam in aquam tam calidam quam patiens potest ferre, et quæ paulatim ita defervescere permittitur, ut stimulus primo prope æqualis continuatur; et postremo calor ustæ partis abstrahitur, reducendo ad parem cæteri corporis temperaturam. Hujusce modi curatio-

nis nullam experientiam adhuc habui, sed rationi valde congruum mihi videtur, et si unquam acciderit ut ignitâ substantiâ vel aquâ fervente comburar, periculum ejus effectus de meipso facere in animo est. Forsan eadem lege operat, qua ad partem gelu ustam nivis aut gelu applicatio? Nunc ad tertiam divisionem, vel ad vaporem minimæ temperaturæ, circiter nonaginta sex gradus secundun FAHRENHEITUM. Talis calor facile producitur apparatu supradicto, accendendo unum tantum filorum, quod ut plurimum sufficiet, sed, cum non multum inflammationis adsit, linteum aquâ demersum et parti inflammatæ applicatum commodius evadat; tali modo halitus caloris supradicti generatur, et uncti serici pellucido tegmine, ne evaporet, præcluditur. Ita effectum similem, ac apparatus gignit, producimus, atque applicationem quæ humano corpori applicari queat; hoc certe in gratissimis est, experti ejus utilitati testimonium gratum ferunt. Cum in phlegmonis principio gelida forma vel neglecta sit vel sine effectu experta, et inflammatio ad effusionem lymphæ coagulabilis, vel ad putredinem aut suppurationem processit, tunc multas utilitates ex hac remedii forma lucramur; nam in primo horum trium statuum, viz. coagulabilis lymphæ effusione, sedem doloris demulcet, tensionem relaxat, irritabilitatem minuit, ad absorptionem

fluidi effusi juvat, et ulteriori effusioni obstat, atque hoc modo dolorosam inflammationem saepe terminat ; at nonnunquam accidit ut, summa attentione et arte ex promptis, spes frustretur, et inflammatio ad putredinem rapide procedit, at etiam in hac terminatione, levamen a constanti hujus utilis remedii usu sperandum. Nam tali calore halitus levamen ægro affert, et irritabilitatem, quæ occurrat, minuit ; atque constitutioni patientis attendendo, putredinem ab sanis partibus benigne separaturam inveniemus, mundum et sanabile ulcus linquentem, ex quo nec pus nec granulationes orirentur: Hoc ulcus paulatim, se contrahendo surgit ab ima parte, donec æqualis partibus circumjacentibus evadat, parvam et sanam cicatricem linquens, quæ nec durum nec morbidum illum sensum tactui praebet, ac ulcerum alio modo curatorum cicatrices. Cur ex ulceris superficie hoc modo tractati granulationes non crescunt ut notetur et inquiratur, dignum est, an eorum incremento aqua specialiter obstet non ausim dicere ; sed iterum aio, investigatu dignum esse. Omnibus hoc modo tractatis ulceribus, quod valde languidam nec omnino sanam faciem ostendunt, proprium est ; at ex humido statu, in quo continue servantur, hoc videtur oriri. Cumque invenimus, quo minus tam cito sana fiant, hoc non impedire, aquæ usui

non objiciendum. Sed quum impatientibus tædium atque superstitiosis contemptus aquæ simplicis subeat, quo his placeamus, paulum ex solutione Acetatis Plumbi aut Sulphatis Zinci, quo curationem properent, remedio addamus. Sed si liberali animo patiens sit, et operationem remedii expectare contentus, nihil adjiciendum. At cum inflammatio eo processit, ut absque suppuratione terminare non possit; dolorem et irritationem levare, et, ut quam minima sit puris formatio niti, indicatur, ad quas res consequendas applicatio tam saepe commendata satis est, non cataplasmatibus, quibus ad levandum dolorem et secretionem boni lacteique puris promovendam chirurgici nunc uti solent. Sed si sanationem assequi et suppurationem prævenire applicatione aquæ possimus, cur cataplasmatibus perstemus uti? Illius prae his multo major utilitas: in primis notandum est, potestatem cataplasmatis præcipue pendere ex aquâ quam continet, et non ex admixtione alicujus aliûs substantiae; hanc ob causam mixtio aquae et friati panis cataplasma est optimum; sed non hæc bona applicatio fit, quia panis brevi acidus redditur, et quum fovens et gratum esse oportet, multæ irritationis semper fere causa evadit; dum contrario per duodecim vel viginti quatuor horas omnino pura aqua permanet. Cataplasmatis pondus magnum quoque incom-

modum est, nam in superficiem inflammatam graviter premendo, non emollit sed grave irritat. Cum superficies inflammata non sufficit totam compositionem calidam retinere, aqua friget et gelidum sensum impertit; horum incommodorum neutrum ex aquea curatione sequitur. Si dolor ex tumore oriatur, acu vel alio minuto instrumento, potius quam lanceolâ tumor ad levandam tensionem aperiatur: cum si ulcus relinquatur, quasi a putredine ortum curamus sine vel suppurationis vel granulationum formatione quod ante dixeram. Meum exemplum in quo aqueâ curatione usus sum, quodque ut puto, exercitationem hâc thesi laudatam illustrat, subjiciendo concludam. Procedente ultimâ dissectionum hyeme, vulnusculo in medio dextræ manus affectus sum, quod, cum nihil memoria dignum accidit, intra paucos dies per se sanatum est. Interim in dissectionibus perstabam, irritationem procedere sinens; septimanæ progressu rubrum et inflammatum prope at altius vulnusculi sanati situ, cujus interim obliviscebar, digitum fieri vidi. Procedente inflammatione ad applicandam aquam in me contuli, sed, cum dissecare necesse erat, non poteram curationi debitam attentionem impendere. Inflammatio cum magno dolore, anxietate et insomnia ad putredinem formandam, plane pergebat. Ad fovendam partem Doctor Macartney cataplasma ex

pane et aqua applicari commendavit, et, si dolor somnum auferat, dimidium drachmæ tincturæ opii aquæ cataplasmatis adjicere. Hoc eventum optatum attulit, cataplasmata sexta quaqua hora per duos dies mutabantur, tum, suadente eodem celebri medico, haec omisi, et linteum aqua tepida humectatum applicavi; hoc valde fovens gratumque post gravia et acida cataplasmata, expertus sum. Jam inflammatio comitata cum dolore et sympathetico tumore glandularum axillæ et universali constitutionis perturbatione totum digitum occupaverat, inclusa unguis radice, cujus jacturam quidam pro certo duxerunt; at cum aliquas purgationes medicinales cepissem et assiduo halitu reductæ temperaturæ per linteum, tepidam aquam, unctumque sericum usus essem, manu quieta et altius cubitu posita, axillae digitique dolor abiit: pars mortua separavit, sanum ulcus, nec pus nec granulationes generaturum, linquens ; et cum in usu aquæ perstabam, ulcere paulatim contracto, et parva sanaque cicatrice relicta, intra paucos dies sanabar ; unguem quoque perfecte integrum formamque retinui. Aquae utilitatem in permolesta inflammatione, quae, aliter tractata, exitum tam benignum non esset habitura, quum ipse expertus sum, jam finem faciam, spem proferendo publicum et medicam præcipue professionem ex eruditis Doctoris

MACARTNEY laboribus, hujus perutilis remedii plenam expositionem habituros, quod, per multos annos ut inflammationis curationem potentissimam, vir ille ingeniosus, et in prælectionibus laudavit et privata exercitatione feliciter usus est; ejus autem æstimandum exemplum et commercium, rudimenta, quibus hæc structura ædificatur, mihi præbuere; et maximo mihi honori semper ducam, illius præcursorem esse me dignum existimari.

FINIS.